

Home.

in quinto Homerus, philosophos. Sed prius id dixit Homerus, qui animam Patrocli ad inferos iuisse asseuerat: cuius sententiam alij poetæ secuti Philisfos exco- gitarunt. Academici philosophi, & multo certius & firmius Stoici, vt ex eorum munimentis colligimus, aliam esse vitam aiebant, alias sedes, alias mansiones, alia domicilia, vbi vnusquisque iuxta opera, ac merita sua, aut præmio, aut poena afficiebatur. Si in hac vita legibus, & præmia proposita sunt virtutibus, & supplicia vitiiis à viris, qui rempublicam gubernandam suscipiunt, quãto magis in altera vita à Deo iustissimo, cuius numine, æquitate, & prouidentia mundus gubernatur? Ac cum hic multi viri sapientia, & in virtute præstantes opprimantur, & in gemitibus, angoribus, iniuriis, & variis calamitatibus versentur, contra verò multi flagitiis irretiti, omniumque scelerum maculis imbuti affluant diuinis, honoribus, & dignitatibus, rebusque vtantur secundis, & ad voluntatem fluentibus: non esse dubium, aiebant illi, quin esset mundus alter, vbi viri pietate præcellentes æternis præmiis afficerentur, & admirabili splendore immortalitatis plenissimo decorati, cœlesti gloria, bonorumque omnium abundantia cumularentur: & vbi improbi vitiiis maculati suorum flagitiorum poenas luent, qui hic virtutum ornamentis nudati in sceleribus volutantur. Cum philosophi intelligerent Deum esse iustissimum iudicem, rerum omnium moderatorem, cuius dirione, ac numine omnia gerantur, eumque qualisquisque fit, quid agat, & cogitet intueri, piorumque & impiorum habere rationem, absque vlla controuersia asseriebant, eum vnique tributurum esse, quod mereret. Cum autem id fieri in hac vita minimè aliquando viderent, alteram esse dicebant, in qua id fieret: ex quo animorum immortalitatem rectè quidem, & præclare colligebant. Hac eorum ratione ductus Mahometus homo alioquin seductor, & pestilens suis sectatoribus præmia sempiterna pro-

posuit, animarumque immortalitatis præbuit assertorem. Id ait aperte Pius Secundus Pontifex Maximus, Aeneas Syllius antea vocatus in epistola, quam ad Principem Turcorum misit pietatis, ac eruditionis plenissimam. Empedocles auctore Aristotele in libro de vegetabilibus felicissimum dixit appetitum æternæ foelicitatis: cuius amore se in pyram proiecit, vt dum corpus flammis expositum redigeretur in cineres, anima volare in caelum, vbi immortalitate potiretur. Non me fugit dixisse nonnullos, illum eam ob causam in ardentis Aetnæ specum nocte intempesta se intiecisse, vt in caelum abiisse crederent, qui illum amplius non aspicerent. Socrates auctore Cicerone in prima quæstione Tusculana admirabilem se ostendit immortalitatis animorum vindicem, & defensorem: duplices enim vias eorum è corpore migrantium asseruit esse. Nam qui se vitius polluerunt, & iura diuina, atque humana violarunt, iis deuium quoddam iter esse à consilio beatorum. Qui autem se integros castosque seruarunt, suntque in hoc sæculo vitam coelicum imitati, his ad sedes beatissimas, ad domicilia æterna reditum parere affirmabat. Is vt Plato testatum reliquit, cum se morte multatum aspiceret, Magna me, inquit, spes tenet ò iudices, bene mihi euenire, quòd mittar ad mortem. Et rogatus ab amico Critone quem ad modum sepeliri velleret: Multam, inquit, operam ò amici còsumpsi, quoniam Critoni non persuasi, me hinc auolaturum. Et priusquam venenum sumeret, has voces emisit. Quanti æstimationis colloqui in altera vita cum Orphæo, Musæo, Homero, Hesiodo viris omni sapientia, & nobilitate præstantibus: E quidem sæpe excedere è vita, si fieri posset, vellem, vt quæ dico, possem inuenire. Quanta voluptate perfundar, cum Palamedem, cum Aiace, cum alios iudicio iniquorum damnatos conueniam? Qui multas eius de contempione mortis, & de animi immortalitate sententias scire voluerit, legat eius apologiam, & dia-

Aeneas:
Syllus.Emped.
Aristot.Socrat.
Cicero

Plato.